



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Lingva Avrea Christianorvm

Ruben, Leonhard

Padibornae, 1606

Capvt 18. Viginti quatuor inco[m]moda linguæ malæ ex capite 28.  
Ecclesiasistici desumpta.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)

stras diuitias spirituales muro validissimo taciturnitatis, & silentij tueamur. Ad quam quoque rem faciunt ea, quæ suprâ capite octauo numer. 1. diximus.

## CAPVT XVIII.

*Viginti quatuor incommoda lingue male ex capite 28. Ecclesiastici desumpta.*

**P**rimùm est vers. 10. *Abstine à Litem, & minues peccata; homo enim iracundus incendit litem, quòd fit per loquelam, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittit inimicitiam.*

2. Est quòd lingua testificans adducat mortem, cum inquit, ver. 13. *Certamen festinatum incendit ignem, & lis festinans effundit sanguinem, & lingua testificans, adducit mortem. Si sufflaueris in scintillam, quasi ignis exardebit: & si expueris super illam, extinguetur, utraq; ex ore proficiscuntur. Quòd magis patet ex superiori cap. 9. num. 1.*

3. Maledicto obnoxios reddit, vers. 15. *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.*

4. 5. 6. 7. 8. & 9. Traduntur vers. 16. *Lingua tertia multos commorsit, & dispersit illos de gente in gentem, ciuitates muratas diuinitum destruxit, & domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit.* Nota verò hoc in capite, linguam tertiam vocari linguam detractoris, & fusurronis; sic enim Chaldæus interpres in Prouerbijs linguam tertiam transfert, fortè quia tertius est, vni apud alterum detrahens.

10. 11. 12. & 13. Ponit vers. 19. *Lingua tertia mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus suis, qui respicit illam non habebit requiem, nec habebit amicū in quo requiescat.*

14. Comminuit ossa, vers. 21. *Flagelli plaga luorem facit: plaga*

Lingua  
tertia  
quæ  
quàm  
mala.

Lingua  
comminuit  
ossa.

autem

autem lingua comminuet ossa.

15. Interitum affert, vers. 22.

*Multi ceciderunt in ore gladij: sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.*

16. Est iugum ferreum & vinculum æreum, vers. 23. 24. *Beatus qui rectus est à lingua nequam, qui in iracundiam illius non transiit, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus. Iugum enim illius iugum ferreum est, & vinculum illius vinculum æreum.*

Linguae iugum ferreum.

17. 18. Mors nequissima, ver. 25. *Mors illius mors nequissima, & utilis potius infernus quam illa.*

19. & 20. Tradit, ver. 26. *Per seuerantia illius non permanebit; sed obtinebit vias iniustorum, & in flamma sua non comburet iustos.*

Flamma lingue

21. 22. & 23. Traditur vers. 27. *vbi & ostenditur qui in illam incidunt. Qui relinquunt Deum, incidunt in illam, & exardebit in illis, &*

non

non exringuetur. Quòd maxime patet in apostatis religionis Chrittianæ, qui excommunicati in summas indies magis magisq; blasphemias erumpunt, vt patuit in Luthe-  
 ro excommunicato. *Et immittitur in illos quasi leo, & quasi pardus ledet illos.*

*Vt leo  
 & pardus.*

*Casus  
 eius.*

24. Vltimum ponit incommodum, casum scilicet; & egregium ponit documentum vers. 28. 29. 30. *Sepi aures tuas spiris, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras. Aurum tuum, & argentum conflu, & verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos, & attende nè fortè labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.* Hinc Theophrastus Eresius dicebat, potius fidendum effræni equo, quàm verbo incomposito.